

F. n. 94.

Feb. 31.

Cum Deo!
Exercitationum Philologicarum
TERNARIUS:

Quarum

I. De PUNCTORUM Vocalium Ebræor.
neq; cum Literis neq; cum Verbo DEI scripto
Coævitate.

II. De MENDIS Codicum Apogra-
phorum Vet. Instr. Ebr. hodie-nostrorum.

III. De CERTITUDINE interim, Fide &
Aythentia Scripturæ S. in se Sc. consideratâ.

AUTORE

ANDR. SENNERTO, P.P.
in Acad. VVitteberg. Ejusdemq; Sen.


WITTENBERGÆ,
Literis JOHANNIS WILCKII.
ANNO M DC LXXX.





Ανεβραϊστικὸν ἔκθεσις.

Ad Lector. Benevol.



D instantiā unius alteriusq; in Argumen-
to simili ut mentem repeterem meam,
clariusq; aliquā exponerem, en, Lect.
Benevole, pagellas hasce seqq. Enimverò
miraberis absq; dubio, adserere me hæc
atq; talia, quæ elevare facilè possint, (primā
fronte quidē) authorit. Verbi scripti divini, quo in Salg ali-
oqvi nostra æterna. Sed enim vanus hic reverà metus est.
Si considerem, vocalia primūm puncta sive notas eorum-
dē quod concernit, adserere me omninò seriòq; hæc (Pun-
cta vocalia) hodie, hodie dico, essentialia esse textui *γνησίω*:
saltem in quæstione hoc esse, an omnib; omninò tempori-
bus sive Literis sive Verbo DEI Scripto fuerint Coæva? De-
inde Menda Apographorum hodie-nostrorum Ebr. quod
attinet, crassiora aliquā sunt hæc quidem aliàs (tempore
quid edacius, hujusq; quæ non injuriæ?) sed minimè il-
la tamen talia, quæ vel de vel circa fidem sunt, (minutula
respectivè) sartâ tecta potiùs nihiloseciùs manente Fide &
Autoritate S. Scripturæ. Quod in sequentibus ergò magis
magisq; eluceffet. Vale bene.

A 2

EXER-



EXERCITATIO I.

De Punctorum Vocalium apud Ebræos Origine & Antiquitate paucis, Spicilegio post messem instituto, ἀνευ προσουίης καὶ παρὰ τὴν, aliquid in medium prolaturi de-
nuò, (ardua satis vexataq; aliàs quæstione illâ, exercitatis-
sima hæctenus, quæ exercuit torsitq; Ingenia) id ingemina-
mus ante omnia: Θεὸς Θεός!

Cæterùm noto notius: pro Affirmante Sententia, quod
nempe Puncta notata cum Literis ipsis tum Textui
sacro Vet. Instrumenti authentico sint coæva & essentia-
lia, adferunt rerum momenta hæc: Primum & principa-
lissimum: quod quippe Vocalia φωνεῖα sint animæ instar
Lectiōni rectæ & sensui Verborum ipsissimo obtinendo.
Unde argumentantur:

Quodcunq; efficit veram & genuinam Le-
ctiōnem, ac sensum progenerat sive
intelligentiam ac interpretationem rei
& verborum Textu salicujus, id omni-
nò eidem essentialia, & adeò coævum
est: Sed Puncta sive Elementa vocalia
efficiunt veram & genuinam Lectiō-
nem, & sensum progenerant verbo-
rum Textûsalicujus sive sacri s. pro-
fani: E. Eidem sunt essentialia & adeò
coæva. Ad

Ad adamantinum vilum multis hoc ipsum argumen-
tum. Addunt porrò decantatissimum id quidem Servato-
ris nostri Matth. V. v. 18. *Amen, Amen, dico vobis, donec
prætereat cælum & terra jota unum aut unus apex non
præteribit è lege & c.* Ubi per *יָוָה* è expressim minima Li-
tera Ebræorum & fons atq; origo reliquarum, Jod nem-
pe intelligatur, per *הַמִּיָּא וְהַמִּיָּא* elementa vocali, reli-
qua huc pertinentia. Agglomerant prætereà testimonia
varia Masoræ, Talmudis & antiquissimi librorum Zohar,
aliorum, in quibus singulis fiat mentio Punctorum & ac-
centuum Ebræorum, & quæ hic sunt similia alia.

Cæterum paucissimis respondeo & compendiariò:
1. distingvendo inter elementa vocalia considerata ratio-
ne *Soni*, imò addo ratione *sensus* inter pronunciandum,
& ratione *Signi* vel *Characteris*, repræsentativi illorum.
Priori modo concedo, sic vocales essentielles esse ac *coz-*
vas sermoni, imò Læctioni & pronunciationi ac *sensum*
progenerare ejusdem: at verò posteriore modo nego,
scil: ratione signi, characteris vel figuræ externæ, repræ-
sentativæ illorum; quasi verò absolutè & per omnia neces-
sarium fuerit sub primis statim crepundiis rei literariæ
ejusdemq; excogitatæ supellectilis etiam expressisse mox
vocalium notas vel characteres quosdam, ut hodiè habe-
mus eosdem, ac quasi verò hinc, id si non fiat, elevetur
mens, sensus vel intentio scribentis. Sic quippe videmus
olim Samaritanos expressisse textum sacrum Mosai-
cum absq; notis vocalium: Ita Talmudistas & hodiè
quoq; adhuc Rabbinos, & nihilominus tamen expeditè le-
gere, expresso item sensu ipsissimo textûs. Ita etiam A-
bysfi-

bysimos seu Æthiopes hodiè saltem vel consonis adfrica-
 re, pro diversitate vocalium, punctulum, vel saltem alter-
 utrum consonæ literæ crus vel latus paulò diducere la-
 tius, vel, quod idem est, appendiculâ donare quâdam &c.
 Ita Arabes porrò tribus modò contenti sunt vocalium
 figuris; Phatha, Cesra & Dsamma, imò duabus, si situm
 loci spectes, Dsamma & Phatha vel Cesra, & nihilo seciùs
 omnes hunc in modum exprimunt vocalium voces sive
 sonos, textum ita quemcunq; ejusdemq; sensum, similiter.
 Quid dicam? immò iidem Arabes unico puncto in anti-
 quisimis Alcorani manuscriptis diversas & voces & voca-
 les insinuant: Quod & Syri punctis suis diacriticis distin-
 ctivis ipsis diversarum vocum, temporum, numerorum,
 personarum, generum &c, ut notum in vulgus, præstant.
 Secundò: distingvo inter id, quod est anima Lectionis sive
 efficit hanc ejusdemq; progignit intellectum, & inter id,
 quod concernit scriptionis rem vel modum: nec enim,
 me iudice quidem, sequitur, quod illi est essentielle & coæ-
 vum, ergò etiam huic, similiter: non, minimè: rem de-
 monstravi exemplis & modò. Tertiò: distingvo etiam
 inter id, quod essentielle est rei alicui per naturam suam a-
 deoq; eidem quoq; est coævum: & inter id, quod tale
 est *Serui* & ex arbitrio: illo modo Vocales essen-
 tiales sunt sermoni, addo lectioni: hoc modo Scriptioni
 sunt & non sunt; imò non sunt: alia quippe est ratio ora-
 tionis & lectionis, [rectiùs volo dicoq; pronunciationis]
 alia expressionis repræsentativæ illius per simulacra sua h.
 e. verbo, Scriptionis, quæ scil. ex thesi & arbitraria est: id
 quod data superiùs exempla à Scriptionis petita modo
 Samaritanorum, Talmudistarum, Rabbinarum, Æthio-
 pum, Arabum, Syrorum aliorumq; Oriental. populorum
 fatis



fatis iterum probant. Et penè dixerim in Orientalibus lingvis, dico repetoq; in Oriental. lingvis, essentialia magis esse iisdè elementa consona, quæ sic vocant, quàm vocalia: ratio: quia illa radicem sive thema ibidem constituunt, non vocalia puncta, quæ variant vel possunt: ita in derivatis vocibus majorem partem illa manent, nec variantur, secus vocales: unde factum videri poterat, expressa illa & ante omnia in inscriptione primitus, neglecta hæc ad tempus. Et quid, si necessitatem absolutam notularum vocalium quarundam impensè urgere velimus, ecquid sibi volunt, quæso, omnium omninò consensu & temporibus omnibus sic vocata, (& cur ita?) Matres Lectionis (מטות הקריאה) tres: י נ repræsentativæ nimir: ipsæ vocalium quinque; a, e, i, o & u? quem usum & ipsæ adhuc hodiè præstant non rarò in libris Talmudicis & Rabbinor. Quid dubitamus? extra quippe potiùs hæc sint posita omnem controversiam: quæ ipsa porrò, inventis punctis, tunc horum partem *fulcra*, ut hodiè loquimur, facta sunt, scil. ו Vau & Holem & Schurek, Jod & Hirek: partem factæ *Quiescentes* sunt, h. e. otium modò agentes in lectione, eorundem quippe quando jam pristinum exspiravit officium. Nihil quicquam hic ut dicam de præsentia divinâ in populo. DEi selecto Israëlitico, Urim & Tummim, vivâ voce sive orali institutione, παραδωσει vel traditionibus de manu in manus, ו נ ו, usu deniq; vel Praxi quotidianâ Lectionis textûs sacri vel analogiâ Lectionis veræ per creberrima comparata exercitia, similibus aliis, quæ defectum, notularum harum, Vocalium inquam, in inscriptione supplere ad tempus facilè poterant. Et tantum quidem quantum primum, de punctis vocalibus, quæ & qua-

& quatenus anima sint aut esse velint, possunt, lectioni, rectæ nec non scriptioni textûs sacri Ebræi.

Alterum sequitur, quod substernunt affirmativæ suæ sententiæ *fundamentum*, nempe decantatissimum & in hoc probandi genere vulgare nimis (absit dicto hostilitas) dictum quidem Servatoris nostri, Matth. V. v. 18. *Amen, amen, dico vobis, donec prætereat Coelum & terra, Jota unum aut unus apex non præteribunt &c*: Opinantur nimirum hîc per יוֹ אֵי עֵי minimam literarum, Jod nempe, per אֵי אֵי אֵי verò puncta vocalia intelligi. Et verò sit ita, & ante omnia. Cæterum quæ consequentia? ergò fuere puncta literis & textui originario mox atq; simul coæva vel essentialia? temporibus quidem Servatoris fuerunt talia haudq; peritura, sed non ideò omnibus temporibus: addo אֵי אֵי אֵי sunt, en, non puncta vocalia, quæ maximam partem extra Holem & Schurek literis substernuntur; sed summitates, eminentiæ, apices (prout genius fert vocis) cum primò rerum quarumcunq; tum etiam atq; hîc characterum sive notularum literariarum, in manuscriptis præsertim codicibus, illis quæ se exerebant temporibus, ornatis gratiâ, certo numero & ordine, item certis literis, quæ affricabantur: אֵי אֵי אֵי / אֵי אֵי אֵי / אֵי אֵי אֵי item, אֵי אֵי אֵי *Coronola, spinula, item gladioli vel spicula* à DD. Ebræis vocatæ. Non me latet quidem, quod Gv. Postellus alicubi aliiq; per אֵי אֵי אֵי intelligant apices tres illos, ex quibus Jod litera formatur vel constat, repræsentavi qui quidem sint vel symbola אֵי אֵי אֵי *propriatum*, ut loquuntur, vel personarum trium in unâ Deitate. Sed transeant hæc.

Tertium deniq; *fundamentum* à testimonio petitum, Masoræ nimir. Talmudis & antiquissimi, ut habetur, libri Zohar: addo hac vice Bahir, Cosri, Codicem Hillelianum, in qui-

in quibus mentio fiat punctorum vocalium. Respondeo:
 Et quæ verò iterum consequentia? Antiqua satis hæc esse,
 hinc fortè probabitur, at verò non ideò essentialia & coæ-
 va, scripturæ quidem, h. e. Literis vel etiam textui sacro
 Ebræo. Cæterum Masora duplex est, & impressa ante cen-
 tenos hos & quod excurrit annos, adeoq; recens satis ad
 probandum id, quod probari debet: antiqua porrò & in
 m. scr. cujus præcisè initii tempus nescimus. Talmud ante hos
 circiter mille annos post natum Servatorem quingentesimo
 nimir. exscriptum est. Liber (Cabbalisticus) *זוהר חדש*
Zohar novus, inquam, hoc ipso seculo (anno 1603.) im-
 pressus est Cracoviæ, de antiqui Zohar ætate & ipsa non
 satis constat, vulgò ad annum Servatoris nostri centesimū
 & vigesimū referunt: author hujus perhibetur fuisse R. Schi-
 meon ben Jochai. Idem esto judicium de codice Hillelia-
 no, libro Bahir, (autor hujus putatur R. Nechonia, cla-
 ruitq; anno M. 3920.) Cosri, Semadar, similibus: qualia
 antiquitatem fortè iterum, sed non Coævinitatem probant:
 Atq; hæc illa, quantum fundamentalia assertionis superi-
 us allatæ pro Coævinitate punctorum cum & literis & ver-
 bo Dei scripto.

Cæterum addenda fortè nunc fuerint quædam eti-
 am, quæ sententiam affirmantem dubiam facere, imò ne-
 gativam svadere possint. Cogitabimus itaq; & ante omnia,
 quæ de *Matribus Lætionis* *מטות*, omnibus ita vocatis lauda-
 tisq; temporibus (nec certè id frustra) dicta à me supra
 sunt: quæ porrò de *fulcris*, (ita hodieq; vulgò vocant) vo-
 calium, Hirek, Holem & Schurek: quæ de *Quiescentibus*
 literis *מטות*. Et cur quiescunt verò hodiè vel otium agunt
 eadem, nisi inter alia, quod earum officium, inventis pun-
 ctis,

Etis, quantum lectionem exspiravit hodiè? Cogitabimus porro, *Varietatem* insignem & sanè mirificissimam (si rectè quidem advertam, si advertam, inquam) *Paraphrastarum* & *Paraphraseor* *vetustiorum*, omnium penè, Chaldaum volo, LXX Interpretes, Aquilam, Theodotionem, Symmachum (viri certè omnes Ebraicè callentissimi) addo Syrum, Arabem, Æthiopem, similes. Et verò unde illa in infinitis S. æ. S. æ. locis inter illos illorumq; translationes disparitas (novi, quid responderi possit soleatq; de corruptione nimir. hodiè illarum: an omnium & singularum? Mirum: alia taceo) Unde, inquam, illa disparitas, nisi quod codicibus *Ms. Jergunvæis* usi sint non punctatis, insuper habitis hisce, punctis scil. in adornandis translationibus suis. Unico Exemplo rem declarare liceat mihi (infinita autem possent produci, & diurnâ nocturnâq; qui volvunt manu talia, experiuntur abundè) Exemplum at verò id hoc esto, è decantatissimo Psalmo Davidis, vulgò qui de profundis salutatur, desumptum, nempe CXXX. v. 4. Verba sunt hæc: *quia apud te remissio* לִפְעֵן תִּירֶנִּי *ut timearis*; quæ posteriora verba Chaldaus interim: מִן בְּגִלְרִי. *eo, propterea, ut videaris, observeris*, absq; dubio, quia legit תִּירֶנִּי pro תִּירֶנִּי Aquila & Theodotio nominaliter reddunt: ἐν τῷ φόβῳ *propter timorem*. Symmachus v. VI. Editio & Vulgata: ἐνεκα νόμου, *propter Legem, verbum tuum*, quasi verò legissent תִּירֶנִּי. En discrepantia, & quanta illa! à punctato hodiè nostro codice! Alia non adferam prætereà exempla brevitatis ergò suæ.

Quid dicam porro à plurimis (non nominasse perinde sit) adstrui: *Autographum* & *apographa extantiora* *Hbri Legis exempla* quondam planè caruisse punctis. Certè alii

alii aliiq; vicissim primitus *tria* tantum, alii VII. notulas similes extitisse modò adserunt. Nil dicam quicquam etiam de vocibus & locis non paucis, in hodiernis codicibus nostris, *non punctatis*, v. gr. Numer. VII. v. 18. seqq. Jerem LI. v. 3. similibus.

Id dicam præterea nihilominus addoq; (sine certâ sua lege & ordine) cogitabimus & impensè quidem *aliena* sæpiusculè *substrata puncta vocalia* suis vocabulis in Cetibh h.e. scripto, ut vocant, sive textu ipsissimo biblico, quæ scil. nihil analogiæ cum voce suâ habent, cui substernuntur, potius monstrum faciunt pariuutq; lectionis: e. g. 2. Sam. XIV. com. 22. in voce עֲבָרָה *Abdêva* inquam, quæ legenda perperam, omnem contra analogiam, imò rei naturam, rectius quæq; legenda עֲבָרָה *servi sui*, vel ut Keri, lectum sive margo habet עֲבָרָה *servi tui*. Ita porrò in vocabulis, ut habentur, obscœnis, molliorum, ut volunt, punctis vocalibus substitutis: v. gr. in שִׁיחָה *urinas suas*, & חֲרָאִיהָ *excrementa sua*, 2. Reg. XVIII. v. 27. & Jes. XXXVI. v. 12. quorum prius puncta habet verborum שִׁיחָה *agvas pedum suorum*, posterius puncta חֲרָאִיהָ *egesta sua*. Sintne aded, quæsumus, puncta hæc essentialia & coræva vocibus suis? sintne monstra hæc lectionis (liberè pronuncio) qualis etiam in אֵלֵהֶם pro אֱלֹהֵם 1. Reg. I. v. 47. alibi, profecta à Spiritu S. vel ejusdem amanuensibus? Autographa sive archetypa num talia redoleant? Minimè, me iudice e quidem. Cæterùm scio, quid responderi hic possit soleatve ab aliis aliisq; : transeant), Mosoretharum potius inquam, sunt artes, inventa, quocunq; illa introducta, affectu pio quodam, tempore; toleranda



randa hodieq; cum reliquo apparatu Masorethico in
 codicibus nostris, & extra qvalia, an dicam? deficeret
 fortè, hodiè ajam, textus sacer nonnusquam. Quid di-
 cam de vocabulis variè punctatis: v. gr. Psalm. VII. v. 5.
 6. 11. & 17. de Punctis nudis absq; suis expressis literis?
 Ejusdem farinae volunt esse nonnulli quidem Lectio-
 nem nominis ירושלים defectivè sine Jod in fine exscri-
 pti: præsertim verò Nominis divini יהוה per puncta
 יהוה & יהוה expressi. Quæ si ita essent, (& sunt: re-
 ctè.) & genuina tetragrammati puncta amissa essent
 dudum expunctaq; malè, & hæc essent iterùm aliena,
 non coæva vel essentialia nomini glorioso.

Plurima alia in apricum produci possent in simi-
 lem rem, quæ suspectam facilè reddere possint Coæ-
 vitatem punctorum cum unâ literis vel textu sacro ori-
 ginali: de *Sva* v. g. vel שׁ Scheva tricis in originaria, nul-
 litate (verbo) ejusd. in aliis lingvis orientalibus; de
 lineola *Raphe* olim nimirum adhibitâ, modò & hodiè
 abrogatâ: & quo verò id jure vel authoritate (nisi cum
 sacrilegio) si essentialia literis vel textui sacro *σοχέϊον* hoc
 quondam fuisset? *de Mappik, multitudine punctorum &*
accentuum prodigiosa, interim defectu signi interroga-
 tionis, exclamationis, parenthesos, similibus: de *Tikkun*
Sopbrim, de *Ittur Sopbrim*, *Variantibus Lectionibus*,
 קריין & כתיבן quas vocant, similibus: de *Karrais* qui
 ideò puncta non admittunt, quod sint pars Legis oralis,
 non scriptæ, similibus inquam. Sed transeant.

Id unicum tantùm dicam adhuc: *Omnis natura*
neq; ordinariè facit saltum, & nihil simul perfectum &
inventum, verba ferè sunt Tullii & Senecæ, item Fabii
 ali-

alicubi: qui ergo simul literæ & puncta, illis vix & ne
vix quidem parumper edolatis?

Nec tandem [missam facio rem] hæc atq; talia asse-
rerem (at verò aurem mihi vellicat, quid inaudio? ali-
quis, vel quivis, me contra publicam doctrinam statu-
ere,) nisi, inquam, à partibus meis (& longo ante me mi-
nimum numero & ordine] viderem stare, & alios qui-
dem ex toto, alios ex parte, tot viros Heroës & undi-
quaq; , etiam Ebraicè doctissimos, quos vel ideò nomi-
nasse sufficiat, & indifferenter quidem: D. Hierony-
mum, dico, Aben Esram, R. D. Kimchium, R. Jacob ben
Chajim, Ephodæum, Abarbenelem, qui omnes
Esræ inventum punctorum tribuunt, non Coæva
dicunt, statuuntq;:) addo B. Lutherum nostrum, Aug.
Steuchum, Reuchlinum, Picum Mirandulanum, Jos.
Scaligerum, Is. Casaubonum, Münsterum, Ar. Monta-
num, Drusium, Buxtorfium, patrem, imò utrumq; B. B.
Gesnerum, Hutterum, Franzium, ex nostris, Merce-
rum, P. Martinium, Seldenum, Vossum, utrumq; Gerh.
Johann & Isaacum, Pellicanum, Bezam, Zwingerum,
Fagium, Piscatorem, Chamierum, Masium, Schikar-
dum, Sixt, Amamam, Dieu, Erpenium, Mayerum, Hak-
spanium, Ravium, Leusden, Br. Walton, Bochartum, &
alios plurimos, qui omnes coævitatem punctorum
cum literis vel textu Ebr. negant. Cæterum postremò,
ne Pontificiis & ipsis, puritatis fontium osoribus, litare
hoc meo asserto videar, en mentem atq; decisivam qua-
si meam כּ וּלְכּ בּלֵאֵלִים vel ὁλοκαρῆσι thesibus vel apho-
rismis seqq. inclusam: 1. Puncta vocalia sive figuræ po-
tius vel notulæ punctorum vocalium non à Tiberiensibus
Judæis sunt inventa: minimè 2. Neq; simul & semel



omnes & præcisè ab Esra & sociis suis. 3. Sed (partem) ante hunc & hosce à Masorethis, successivè ; quos quidem à Mose divino viro & successoribus ejus deducendos omninò ego semper arbitratum sum. 4. Nullà interim sub determinabili ratione rei, temporis, personarum &c. qui, quando, ubi & à quibus præcisè inventa vel absoluta talia; historiae scil. hinc deficiente luce: putarim tamen ego absoluta adhibitaq; hæc ab Esra & collegis suis. 5. Interim, id quando & quomocunq; factū, factū idem non sine divino nutu, nisi speciali Θεοπρονοία. 6. Sunt adeò & nihilominus Verbo Dei scripto & literis in se spectatis non coæva. 7. Hodie interim eodici Ebræo essentialia. 8. Haud secus atq; Mosorethicus Apparatus totus, Keri & Cetibh, similia. 9. Maximè quantum ejusd. materiale. 11. Quod de punctis, idem & multò magis de accentibus intelligendum. Tantum.

Appendicula sive κεφάλαιον:

Concernens

Animationem Punctorum vocalium Ebræor. &c.

ID nempe urgent unice ferè & continuè propugnatores coævitatis Punctorum &c. Puncta vocalia Ebr. animæ instar esse Lectioni rectæ & sensum quantum textus sacri originalis verum eruendum, & adeò essentialia eidem: quod si verò non hoc, vox viva DEI, Verbum ejus revelatum & scriptum non fuisset omnibus temporibus plenè & integrum traditum, nec certum, *sed*

sed mancum & mutilum, *σεχασμῶ* hinc mero niti idem vel conjectativum, suâ mera probabilitate constans quâdam.

Resp. 1. Uti non semel: distingvendo inter vocalium sonum & signum vel notulas earundem, & hac ratione ad Assertionis membra sua distinctè etiam respondendum 2. distingvendo inter tempora superiora vel Ver. Instrumenti, aut potius ante Captivitatem Babyloniam, & seqviora & hæc nostra Novi fœderis: Illo nego absolutè opus fuisse signis sive notulis similibus: alia cum præstò nimir. essent Lectionis certæ & rectæ adminicula sufficientia, de quibus suo & alio loco pluribus: verbo & v.gr. DEI præsentia in populo suo recens electo ipsissima, Urim & Tummim, viva vox sive oralis institutio, *παράδοσις*, traditio de manu in manum, vel potius *ῥῶμα πρὸς ῥῶμα*, *לַה נְהַ*, Codex non ita amplus adhuc, usus vel praxis lectionis ejusd. quotidiana, analogia veræ lectionis comparata per creberrima exercitia, alia similia. 3. Hoc nostro verò tempore vel etiam superioribus concedo, si notulis punctorum similibus careret textus sacer, incertam fortè futuram Lectionem ejusdem. 4. Adde: quemadmodum DEUS ter Max. Opt. non obstrictus fuit primis 2500. circiter annis (per dimidium ferè durationis mundi hujus tempus, juxta computum Elianum) voluntatem suam denunciare hominibus verbo aliquo scripto, extra eorundem salutis noxam; ita in hujus mox primis & ecclesie suæ crepundiis, ut Verbum scriptum animaret quasi statim punctis similibus: dictis de suprâ rationibus, plurimis

rimis aliis. s. Adde adhuc; quod πολυμερῶς καὶ πολυτρό-
 πως (Ebr. i.) adhuc tunc DEUS cum populo suo ageret
 loquereturq; , vox viva & verbum scriptum pari passu
 adhuc ambularent. Canon item quod tunc nondum de-
 terminatus & obsignatus esset (quod factum nempe de-
 mum post 3500. circiter annos à mundo condito) im-
 mò quod Vet. fœdus vel Instrumentum restaret adhuc,
 ut sic loquar , redintegrandum [post 4000. annos
 mundi] revelatione suâ quâdam & per complemen-
 tum Novi & sic porrò. Vanus quocirca & postremò vel
 superfluous certè, ut videri poterat, metus hic de sensu
 recto [absq; punctorum additamento illo tempore]
 verbi scripti superiorum, dico, temporum; dum mo-
 dò constet de nobis vel seqvioribus temporibus, de viâ
 & fundamento vel principio ad nostram salutem com-
 modo, recto ac sufficiente, &c.

EXERCITATIO II.

De

MENDIS Codicum Apographorum
 Vet. Instrum. Ebr. hodie-no-
 strorum.

Aνεπιβεβαιωμένης quidem & ad rem ut iterum statim acce-
 damus, jam atq; ante omnia, dari repeririq; in Scri-
 pturæ S. Vet. quidem Instrumenti Ebr. Codicibus hodie-
 nostris Apographis (neq; enim mihi de S. Sæ autoritate,
 fide vel puritate in communi sermo hac vice erit: minimè
 verò:) dari, inquam, repeririq; in dictis Codicibus ho-
 die-nostris, maximè typis illis exaratis, ab anno post na-
 tum

tum Servatorem nostrum (inventâ nimirum arte typographicâ) millesimo, quadringentesimo, quadagesimo usq; huc, similes irregulares omninò sive Scriptiones s. Lectiones, quæ universæ analogiæ, non dicam regulis Grammaticorum tantum, earundemq; exceptionibus fortè ad hæc, sed Analogiæ, dico, & rectitudini universæ scriptionis, lectionis & inflexionis prorsus, repugnant, addam omni penè rationi rectæ, quis est, qui neget talia? potius in aprico s. solis disco hodiè idem positum est. E. gr. (neq; verò omnes aut ordine certo suo, sed pauciores & promiscuè recensebo.) Quis adeò hospes est in laudato Vet. Foederis Codice s. potius ejusdem apographis hodiernis typisq; illis exaratis, qui nesciat non rarò scriptum legi אֱלֹהִים, cum Aleph, pro אֱלֹהִים, cum Vau-Holem, vice versa אֱלֹהִים, cum Vau-Holem, pro אֱלֹהִים, sic אֱלֹהִים cum Jod in medio pro אֱלֹהִים, ipse, & vicissim אֱלֹהִים per Vau in medio, pro אֱלֹהִים ipsa. Sic (qualia in primâ acie s. primo loco merito ponimus) scriptum legimus pro divino Nomine, eodemq; personali DEI usitatisimoq; אֱלֹהִים DEUS i. e. DEUS Pater, Verbum vel filius & Spir. S. אֱלֹהִים/אֱלֹהִים inq; vâ, per Caph finale pro אֱלֹהִים finali, 1. Reg. I. 47. (similis אֱלֹהִים scriptio est Judæorum hodiernorum אֱלֹהִים vel אֱלֹהִים: quod obiter) ita eodem modo אֱלֹהִים pro אֱלֹהִים manus, 1. Sam. IV. 13. Enormes certè ambæ ipsæ Lectiones. Sic אֱלֹהִים per Segol & Kamets in fine irregularissimè, planè, pro אֱלֹהִים vel certè אֱלֹהִים ceu Keri habet, *servi tui*. 2. Sam. XIV. 22. similiter alibi non rarò legimus, v. gr. אֱלֹהִים avis species, Deuter. XIV. 13. pro אֱלֹהִים per Daleth, ut scriptum rectè legitur Levit. XI. 14. & utrobique juxta Codicem Samaritanum, אֱלֹהִים cum vau אֱלֹהִים s. abundante



(16)

dante in fine vocis, pro וַיֹּאמֶר & dixit, Jos. VI. ט.
 נִהְיֶינָה cum יתִּיאֵר s. abundante iterum in fine pro נִהְיֶינָה
 diligenter me, Proverb. VIII. 17. הִתְאַהֲלָה pro הִתְאַהֲלָה hac,
 mirificè transpositis literis ה & ל cum Dagesch forti in
 fine, 1. Reg. VII. 45. Adde nunc vocabula variè punctata
 v. gr. in uno Psal. VII. in quatuor locis scil. versu s. com-
 mate 5. 6. 11. & 17. alia. Ita tantummodò per puncta in-
 sinuata, suppressis vel omisissis literis: Ex. gr. Tsere nu-
 dum, pro כִּי sic, 2. Sam. XVIII. 20. Kamets-hatuph pro
 לִי omnis 2. Reg. XX. 13. Sva & Tsere pro nomine בְּנֵי filii,
 Jud. XX. 13. similiter: Item, monstra illa, sic est, puncto-
 rum vocabulis suis non rarò substrata: de quibus pluri-
 bus mox infra Tandem quid dicam de nomine divino,
 eodemq; essentiali יהוה per אֱלֹהֵי vel אֱלֹהִים ubiq; metu
 profanationis, & ex sua quadam religione scripto le-
 ctoq;: sic de honestioribus, ut volunt, pro obscœnis, ut
 habentur, aliquando, & quomodocunq; substitutis illis
 vocabulis & alienis in textum insititiis punctis v. gr. 2.
 Reg. XVIII. 27. Jes. XXXVI. 12. alibi? Et quæ centena e-
 jusmodi possent produci alia. Qualia innumera fe-
 rè videri possunt apud Eliam Levitam, in lib. Masso-
 reth Hammass. Avenarium Gram. Ebr. parte III. per
 totam, Schindlerum, Ariam, Buxtorff. in thes. & Ti-
 ber Fabricium in Part. Bibl. Erpenium, Sixtinum Ama-
 mam, Schickardum, Glassium, Buxtorff. fil in Anticriti-
 co, Bochartum, in Hierozoico, Leusdenum, Hulsium, si-
 miles scriptores.

Habuimus, en, adeò, Lect. benev. Elenchum vel
 qualem cunq; similium Scriptionum & Lectionum he-
 teroclitaram & enormium in Apographis hodie-no-
 stris

stris, qvalia non regulis Grammaticis tantum illis, ut & supra jam dictum, sed omni ferè rationi rectæ contrariari videntur. Quid ergò de hisce habendum vel sentiendum sit in rei veritate, non immeritò quæritur? Ac prima omnium facilè Quæstio hæc fuerit: Ita: an hæc atq; talia primitus in Exemplis sive Codicibus archetypis s. autographis (qvalia quod nos non amplius habeamus, quis neget seriò?) an hæc, inquam atq; talia in Codicibus primis s. autographis extiterint? De me ergò si quis quærat, dicam omninò, quod sentio, & verbo: Minimè, minimè A DEI summi Numinis, majestate potiùs hæc atq; talia videri poterant aliena. Et qui neget aut dubitabit archetypa illa olim unam, rectam, simplicem & constantem habuisse Lectionem? Una atq; simplex cum sit Veritas: unus item, certus & simplex, non tortuosus, bifrons aut anceps ex intentione Spiritus S. sensus sit. DEUS porrò cum sit unus, idemq; author Ordinis, lucis, & recti & boni quicquid est, non confusionis, tenebrarum vel ejus, quod devium & monstrosum, Natura quippe ab hoc item cum & ipsa abhorreat. Quis ergò credat, quis quæso credat, monstrosa, penè dixerim, dico, ejus generis exstitisse vocabula in archetypis s. autographis primorū temporum: אלהים v. gr. pro אלהים, יד עבדך pro manus עבדך vel עבדך servitui, similiter. Credat qui velit [ne Judæos quidem, credo, apella] ego cretè non. Aut si velint ac possunt, quicunq; sunt, producant de hisce atq; similibus (αποσφύρασι quippe horum fuerit fortè hoc primum) sua, quæ inibi continentur mysteria (de quibus mox pluribus infra) aut suam fateantur ignorantiam præconceptasq; opiniones. Id

quod de honestioribus, ut volunt, pro obscœnis, ut habentur, vocabulis à Masorethis extra controversiam cum tempore in textum infartis vocabulis certissimum omninò & in aprico est. Anne ergò tandem Spiritui S. sua sunt Obscœna: Masoretharum v. supposititia honestiora? Minimè. Ἀπορον καὶ ἀσβής. Interim in hisce atq; similibus Ectypa s. apographa hodiè nostra exempla differunt ab archetypis s. avtographis superiorum temporum.

Quæritur igitur adeò porrò, qui & quomodo irrepererint aut extent hac atq; talia nihilominus in Codicibus hodie nostris? Factum itaq; idem est, vel de certo consilio, de studio & industria, certisq; suis de causis; & quidem à Masorethis superiorum temporum, criticis illis Ebræorum Bibliorumq; interpolatoribus, sive illis jam ante sive etiam post Talmudicis: vel de facto, quod dicitur, casu, fortè fortuna, ex non recta rei intelligentiâ vel oscitantia aut ex errore suo quodam. Tertium quippe, existimo, facilè non dabitur. Destinatio consilio S. Scripturam à Judæis corruptam, vanitas est.

Jam, primum quod attinet, Masoretharum studia illa atq; consilia in conservandis nec non interpolandis Bibliis S. S. (quocunq; illi etiam tempore cœperint vixerintq;: existimo ego successivè, à temporibus Mosis ad Esram usq;, imò plus ultra) Labor, inquam, hic atq; institutum eorundem triplex ferè est fuitq;: (neq; enim Masoram delineabo hac vice integram) 1. quippe, Biblia 8. Vet. Fœderis numerarunt (unde etiam סופרים *Numeratores* audiunt laudanturq;) secundum Libros suos, Capita, versus s. incisa, imò voces & elementa sua
singula:

singula : q̄valia transeant hac vice : loci quippe hujus
minimè.

2. Observarunt, & in numerato item habuerunt,
vel certè illi ipsi invexerunt, ut modo & ex parte dictū,
Scriptionum atq; Lectionum similium quasdam; quæ,
dum à communi, lege & homalia recta, certâ ratione suâ
decederent, παῖδες aliquod insigne inferre certis S. Sæ
locis & vocabulis nonnullis videri poterant; porro, quæ
μυστηριώδεις quid in sese continerent; deniq; quæ religio
& ἑυλαβεία sua quædam, nisi veriùs superstitio, hunc in
modum commendarent. Exemplis res declaro : talia
sunt v. gr. Literæ majoris vel minoris (usitato) quantita-
tis, literæ inversæ, suspensæ in altum, redundantes, de-
ficientes, transpositæ, similes; Ita voces integræ hujus ge-
neris, voces supernè punctis notatæ; porro loca in spe-
cie, v. g. Jes. IX. 7. ubi לִמְרִיבָהּ ad multiplicandam,
per ם finale in medio scribitur : Nehem. II. 3.
אֲבִירֵי יְהוּדָה ipsi per ם initiale s. medianum in
fine; Job. XXXVIII. v. 1. ubi ם ex, de, item per Nun i-
nitiale s. medianum in fine vocis : porro Psalm. XXII.
17. id decantatissimum : ם כִּבְּרוּ vel כִּבְּרוּ foderunt vel
sicut Leo: Hag. 1. 8. ubi ם כִּבְּרוּ glorificabo defectivè & absq;
ם in fine scriptum cernitur : ut nihil quicquam hic di-
cam de nomine נַעֲרָה puella, adolescentula Gen. XXIV. 14.
& alibi (vicibus 21) in libris Mosaicis, absq; ם, notâ sequi-
oris sexus, in fine scripto : nihil de voce יְרוּשָׁלַם pro
יְרוּשָׁלַם Jerusalem passim & ipsa : q̄valia in superiorum
censum mihi quidem hac vice non veniunt, certis suis
de causis. Jam plura exempla hac vice non adducam,
in quibus atq; hisce similibus nihilominùs plurimi ab-
strusa plurima atq; verenda summè mysteria sua conti-
neri



neri (risu, vel cextè commiseratione, non rarò interim & ipsa digna) sibi persuasum habent ac credunt. Unicum saltem, ac primà fronte idem speciosum satis, profero exemplum, id nempe, cujus suprà modò & postremo quidem ferè loco, facta etiam mentio, Hag. I. 8. ubi in verbo *גִּבְרִי* glorificabo in fine ejusd. deficit. Dicunt ergò Talmudici, R. Selomon, Kimchi, alii, eo defectum notari, (quippe cum numerum quinarium denotet) quinque rerum, quæ defuerint in templo secundo: nimir. Arca cum Cherubinis, 2. Urim & Tummi. n. 3. ignis coelitus demissus, 4. Spiritus S. sive Prophetia, & 5. Præsentia majestatis divinæ: quanquam pro hac Talmud. Jerosoly. n. ponat oleum unctionis. Sane in speciem vel primà fronte exemplum *אֲנִי* fortè non incongruum. Sed eccur potius id *ה*, quod hoc loco cætero qui Paragogicum est, & a deo abesse facilè poterat, deficit in hoc verbo *גִּבְרִי* glorificabo & non potius in præcedente *אֲנִי* complacbo, ubi radicale est; vel in alia quacunq; voce finita hoc vel altero Capite Haggei? porrò scopus Prophetæ, quantum hunc locum, tali mysterio planè averfatur: confer Cap. II. 9. 3. quàm multa porrò sunt alia similia loca (numero 44.) in quibus id finale deficit? Quid igitur fiet, de illis locis? Atq; prætereà, non hæc atq; talia omnia in templo secundo defuisse inter alios noster B. Frantzius in Scholâ Sacrificiorum, Disputatione 2. demonstrat. Quale ergò hoc fuerit, quæso, mysterium, quod hoc in loco contineri, contendunt? Alia mitto. Atq; prætereà hæc & talia non urgebo, quin potius in gratiam basiatorum suorum in medio relinqvam? quid relinqvam? hoc addito saltim: Mysteriorum satis atq; alias

aliàs in S. Sa in sese considerata vel nucleo ejusdem contineri, ut non opus sit talia in cortice quærere & captare velle, qualia tandem multo & tædioso inventa labore, nihilofeciùs & non nisi precariò obtinentur, ut quidam loquitur. Enim verò nuuc ponamus, non invexisse hæc atq; talia omnia, omnia dico, Masorethas, sed jam invenisse eorum quædam in textu sacro Ebræo (an verò illa in autographis, an apographis? minimè illis, sed hisce,) invec̄ta fortè, fortè dico, jam olim, suis & quibuscunq; de causis, licet hodiè nobis ignotis: ponamus, inquam, hæc atq; talia, ponamus: porrò eorum alia aliaq; peculiare quid & $\pi\acute{\alpha}\theta\omicron\varsigma$ fortè suum præ se ferre, addo $\mu\upsilon\sigma\eta\epsilon\lambda\omega\delta\alpha\epsilon$ quid in se continere, similiter: at verò, anne affirmabimus illa promiscuè de omnibus & singulis superius allatis exemplis: $\aleph \aleph \aleph / \aleph \aleph \aleph$ cum $\aleph \aleph \aleph$ abundante in fine scripto: $\aleph \aleph \aleph$ pro $\aleph \aleph \aleph$ hæc mirificè transpositis literis $\aleph \aleph$ cum Dagesch forti in fine vocis, 1. Reg. VII. 45 similibus? Jam, supra semel atq; iterum etiam diximus, honestiora illa, vel quasi, pro obscœnis, ut hodiè habentur, supposititia illa Masoretharum vocabula omninò clarè atq; sufficientissimè testantur, non archetyporum sed ectyporum hodieq; nostrorum Codicum esse illas Lectiones adeoq; non ex Spiritus S. mente, sed ex instituto hominum invec̄tas textuiq; infartas Ebræo: Crises & svaviludia sua, ut mitiùs dicam, auctorum suorum Quid aliud ergò, quàm menda sint, autographorum veritati ex amusse contradicentia? En Menda sua (salvâ, salvâ suâ semper $\upsilon\pi\epsilon\rho\chi\eta$ S. Scripturæ in sese & quant. interna considerata.) En menda, inquam, sua, negariq; eadem vix possibilia, Codicum

dicum hodiernorum nostrorum, in communi, audaci
fatis manu vel certè eorundem quædam ex abundante,
ut mitiùs dicam, hisce illata.

Porro tertius Masoretharum labor hic fuit (quor-
um etiam referimus discrepantes Orientalium & Oc-
cidentalium Judæorum, item R. Ben Ascher & ben
Naphtali Lectiones) ut consignarent notarentq; vari-
antes, quas sic vocant, circa textum sacrum Ebræum Le-
ctiones, in aliis aliisque Codicibus suis observatas, sicq;
suum, ut loquuntur, כתיב & קרי id est, *Scriptum & Lectum*
constituerent. At v. hæ triplicis vicissim sunt generis;
vel enim utrumq; כתיב & קרי *Scriptum & Lectum*
ita sunt comparata, ut possint tolerari, nec textui sacro
vim infertant, aut sensum ejus valdè turbent. Cæterum,
an utraq; ergò etiam Lectio, an verò potius alterutra,
erit vera & ex intentione Spiritus S. ? Utiq; una saltem,
alterutra, non utraq; (Apage valeatq; sis ergò hac vice
cum asserto tali suo Hugo Broughtonus, Anglus) cum u-
na nimirum atq; simplex tantum sit veritas, non duplex
aut anceps, atq; illa ex mente & intentione Spiritus DEI
veritatisq; ; altera verò devius vicissim erit haud bonæ
fatis notæ [in certo hos tertio] Codicis alicujus error f-
mendum 2. non rarò כתיב *Scriptum* præstat קרי
Lectum: heic ergò juxta Canonem ferè tritum: dominetur
tam diu כתיב *Scriptum* præ קרי *Lectum*, donec sphal-
ma demonstratur, כתיב vera & genuina erit Lectio,
קרי iterum mentum. 3. denique non rarò
קרי *Lectum* præstat כתיב *Scriptum*, extra controver-
siam: hic, hic, dico, vicissim omninò, & extra omne du-
bium, quicquid dicatur, illud veram & genuinam præ-
se feret præsentabitq; Lectionem, hoc כתיב *Scriptum* il-
lati-

latitium & mendosum iterum erit, ex minimè bonæ factis notæ codice quodam subortum irreptitiumq; , atq; adeò כתיב רב scriptum i e. Apographon tale , humani aliquid extra omnem controversiam est , erit fuitq; passum. En menda sua iterum Codicum hodiernorum nostrorum : vix eademq; negari possibilia. Salvâ, salva sua aliàs S. Sæ ὑπεργραφή, ut non semel dictum. Ac sanè [qualia denuò atq; iterum iterumq; inculcamus] quemadmodum omnis vel quæcunq; etiam apud profanos auctores quosvis, Variantum Lectionum non utraq; ; sed alterutra saltem est vera & ex mente & intentione scribentis vel auctoris sui, ita hic atq; vel maximè etiam in Sacris, Lectiones illæ tantum, quæ sunt ex intentione & mente Spiritus DEI, sunt veræ, reliquæ irreptitiæ & in rei veritate, quid aliud nisi menda? qualicunq; tandem, ut & hoc addam adhuc, & cujuscunq; notæ aliàs Codice usi sint Interpolatores Bibliorum hi, Masorethæ nempe, quocunq; etiam s. nudo σχολασμῶ s. accuratiorè adhibito iudicio suo. Unde etiam neutram harum Lectionum diversarum rejicere ausi sunt, eò quod nescirent quænam harum natales suos autogropho, vel quod idem est, Spiritui S. debeat.

Atq; sic tandem & συναρίβδου (quod vi inductionis hujus abundè, ni fallor, probatum) cum hæc atq; talia, superiora, v. gr. אלהים / עברו / יק / אלהים / אלהים pro אלהים hæc, addam quin imo אלהים pro אלהים non &c. hisq; similia alia; cum porrò infarta in textum pro obscœnis honestiora, ut volunt, illa vocabula textum authenticum s. αὐτόγραφον minimè, minimè sapiant, extra omnem controversiæ aleam; deniq; Variantum Lectionum alterutra saltem sit vera, & ex intentione Spiritus S. non utraq; quid igitur hæc atq; talia in

D

rei



rei veritate aliud erunt, nisi, juxta Problematis nostri superioris membrum alterum, menda Codicum hodiè nostrorum apographorum, aut, si mollissimè loqui velimus, haud bonæ notæ avthenticæq; auctoritatis s. scriptiones s. lectiones. Ὅτι ἐδεῖ δειξαι. Id quod, me judice quidem, in vitabiliter & citra omnem contradictionē, demonstrasse me hac vice sufficiet.

Addo, paucis adhuc & nihilominus, Lector benevole, Apographorum, tot atq; tot numero myriadibus, Varietas, imbecille humanum, tempusq; rerum edax hæc atq; talia introduxerunt; nonnunquam, addo adhæc sua quædam pertinax religio, nisi superstitio quædã. Codices porrò hodiè Biblicos nostros, & quidem notis Masorethicis instructos, quis est qui nesciat, majorem partem illos nos, cum Christianos tum Judæos, habere à superiorum non longè temporum (circiter a. Christi M. DXVII. & M. DXXV.) Bibliorum Ebr. (post Fel. Pratensem) & simul Masoræ authoribus & Collectoribus Dan. Bombergo & R. Jacob ben Chajim: qui posterior absq; dubio pleraq; transcripsit cum ex aliis s. schedis s. Codicibus manuscriptis, tum verò atq; maximè ex vetustissimo Masorethico libro כּתבֿ מִסּוֹרֶת dicto, cujus mentionem fecit W. Schickardus in Bechinath Happer: tit. IV. de Masorâ. Hisce siquidem, si verum & quod res est, dicendum, Dan. Bombergo nimir. & R. Jacob ben Chajim, post DEUM, debemus & in horum fidem ferè resolvitur (ita videtur) totus hodiè Masorethicus apparatus, quantum, quantum ille, & notatæ Scriptiones & Lectiones anomalæ; Ita inspecie etiam כּתבֿ קרי & Cetibh. Et si quærat hodiè de Auctoritate, fide & integritate, adde puritate, Codicis Ebr. V. Instrum., de tali omnino sermo est, qui notis similibus, Masorethicis, in-

fru-

structus & correctus est: aliter non. Interim certum & hoc est, Masorethica talia, vel Masoram ipsam, in se spectatam, esse imperfectam, imò fallere nonnunquam, כתיבן & כריין porro non raro transposita & confusa, Keriim omissa, similiter: ut in rebus fidei satis tutò ad hanc confugere vix liceat. Quid igitur? ut vel hinc optandū potius multis votis, quàm sperandum, quò prima atq; verior Achetyporum quæ fuit, Lectio in כתיב & Exemplaria hodierna nostra impressa iterum communi omnium consensu, citraq; majus scandalum & damnum aliquod, introduceretur: præsertim in iis locis, ubi res patula & mendum videri poterat indubium: qualia suprà à me adducta sunt: nisi lis mensura duraturaq; sit sub iudice amplius & perpetim: ecquid subsit huic vel illi Lectioni, an mysterium forte vel aliud quidvis? & ecquodnam, an illud an hoc verò, Cetbih vel Keri præstet, ita Lectio per puncta vel per literas quæ insinuatur. Ceterum transeant tandem hæc atq; talia.

Ad Objectiones adversæ nobis partis nonnullas respondendum adhuc fuerit, Lect. benev. [mox autem me absolvam:] Objiciunt itaq; nobis i. Authoritatem tot atq; tantorum cum Theologorum tum Philologorum, piè & non sine zelo suo, in contrarium sentientium, nec de ponte ideò statim dejiciendorum. Quid igitur hic? respondemus, nempe ad id genus argumentandi topicum: Sanè bene, ac piè fortassis illi, sed (ignoscant per DEUM mihi, fors etiam dicenti verum), sed, inquam, si modò, remotis removendis, satis secundum considerationem rectam & scientificam. Quid dicam? quod possum: Authoritates autoritatibus interim opponere si mihi modò liceat. In apicem quocirca produco, & primo quidem loco, ipsissimum Theandrum



B. Lutherum nostrum, quem vide, ut ne longè abeamus, consentientem nobis omninò: 2. Sam. XXIII. v. 8. 1. Paralip. XXIV. r. in not. marg. alibi: verba ejus illic sunt: **Da achten wir / der Text sey durch einen Schreiber verderbet / etwa aus einem Buch unkenntlicher Schrift / und von bösen Buchstaben**: hic verò: es scheineth, die Ebreische Bibel hie verfälscht zu seyn. Den &c. Cæterum scio, quid hic objiciant quidam: sed enim verò. Porrò B. Glassium, Philologum hoc nostro seculo facilè Principem, itemq; è nostris: qui Philol. S. lib. 1. ab in. mox. inter alia Biblia (scil. Ebræa,) non purè fluere hodiè, nisi notis instructa Masorethicis: at verò hoc quid dictum aliud, nisi **כתיב** scriptum, vel apographa hodie-nostra non per omnia parè fluere? addo promiscuè quidem: è Rabbiniis: Aben Efram, Kimchium, Ephodæum: porrò Ariam Montanum, Betranum, Drusium, Mercerum, Pagnetium, Weigamerum, Erpenium, Capellum, Piscatorem, Buxtorfium, Sixt. Amamam, Walthonum in Op. Bibl. Anglic. Bochartum, H. Grotium, Ludov. de Dien, Usserium, Arn. Bootium, alios. 2. Objiciunt: scandalosum esse, imò periculosum, hæc atq; talia asserere velle, plus nimio Adversariis, Pontificiis maximè eò concedi, S. Sacram nempe s. fontes Ebræos corruptos, non purè fluere, aliàs semper clamitantibus. Respondeo: Veritas veritati non contrariatur: & ab hac nullum ipsi eadem metuendum periculum: Verum verò semper consonat, nunquam repugnat aut officit, Non ideò obruenda porrò hæc, veritas, quod mali eà abuti possint, in tempore & loco hæc potiùs dicenda est. Habentq;

bentq; prætereà satis illi, Pontificii, quod agant item desiderentq; in sua, ipsis authentica, Versione Vulgata. Habeant habeantq; sibi Codices laudati nostri apographi, quantum externa & corticem, nec adeò majoris momenti menda sua quædam, quantum hæc, Vulgata illorum plaustra & millena, ipsis non diffitentibus eorundem antesignanis. 3. Objiciunt Providentiæ divinæ rem, hanc nimir. non passam vel passuram fuisse, corrumpi in tot locis Fontes toties laudatos: item, non tantum res, sed & singula talium verba esse ex inspiratione DEi vel Sp. Sancti. Respondeo: Fontes nunquã, nunquam diximus corruptos, hi iidemq; in sese, abstracte vel universè considerati, maximè quant. res fidei, quo de mox, sed Apographa hodie nostra, præsertim illa typis exarata à centum & quod supra excurrit, annis ipsis. Nec idverò nobis adeò mirum vel absurdum videbitur, aut à providentia divina prorsus alienum, si cogitemus item rerum actionumq; humanarum suum contingens vicissitudinerq; gentis præsertim Jud. varias & asperri- mas quondam calamitates, dispersiones & exilia, tot myriadibus apographorum varietates, tempus rerum edax, similia. Quid dicam porrò de N. Instrumenti Codicillis, ætate & mole cum veteri non comparandis, interim eorundem & nævis & variantibus Lectionibus plurimis, cæterà, fidem quant. illis item & ipsis innoxiiis. Deniq; & res & verba Sæ Sæ esse Epistolam DEi Creatoris ad creaturam suam. Rectè: sed quantum Archety- pa illa primorū temporū, imò & Ectypa hodieq; nostra, sed hæc, exceptis excipiendis, in tantum, non verò in totum, vel per omnia: quod supra jam abundè demon- stratum. 4. objiciunt Authoritatem S. Sæ in communi,

universè vel in sese consideratam Resp. jam dixi, vel certe ex parte sua, Hæc igitur (non obstantibus, quæ dicta hæcenus sunt) minimè laborat vel in mendo jacet: minimè. Pactum suum religiosum, quod cum hominibus in salutis negotio iniit semel DEUS, idem firmissimi & semper servavit. Non semel mecum cogitavi animumq; subiit, eccur in N. Testamenti Codicillis amanuenses divini præ Fontibus potius LXX. Senum versionem adhibuerint, hanc ab illis interim non in uno dissentientem: res demùm eò redire mihi quidem videbatur, extra quod Lingva Græca illo tempore esset latè patentissima, quod sensus haberent & contentorum veriùs rationem, non æqvè minoris commatis circumstantiarum aut discrepantiarum illarum. Ita de Codicibus apographis hodie nostris Ebr. similiter fortasse sentiendum. Mens DEUS est sive Spiritus, talia ergò magè curæ ipsi, quàm temporaria & peritura, quæ quod sit, non quidem Verbum DEI, mansurum in æternum, sed accessorium ejus, scriptoria res s. literaria elementa, ecquis dubitabit? Scilicet enim: Ubinam hodiè Vet. Instrumenti Archetypa illa? Scripta nimir. hæc in usum ejus ætatis hominum non omnis vel singularum. 5. Obijciunt idem id modò citatum dictum S. Sæ. Verbum Domini manet in æternum, Jes. XL. 8. nec non alterum illud: Amen, Amen, dico vobis, donec prætereat Cælum & terra, Iota unum aut unus apex non præteribunt, Math. V. 15. Resp. Qvalia ego intelligo utrinq;, de verbo DEI universè & in se vel essentialiter considerato, illo à seculis abscondito primis, hinc in tempore per ejus gratiam revelato, nempe de voluntate DEI ejusdemq; constitutione & ordinatione æterna & im-

muta-

mutabili, qvant. sese & genus humanum. *Ἐνδιάθετον*,
mentale & *προφορικόν*, in Scholis communiter Ver-
bum vocant. *Γραπτόν* verò S. Scriptum non dubito certè
ego, qvemadmodum, qvantùm *αὐτόγραφα* s. archetypa
jam dudum periit, ita *ἐκτυπα* s. apographa peritura cum
tempore sub finem mundi hujus, accessorium tanquam
& temporarium quid, unà cum toto quidem ministerio
Verbi divini, Lege, Evangelio, Sacramentis, Fide ipsâ,
similibus, in tali sensu abolendis olim periturisq;.

Postremò, de Apographorum hodie-nostrorum
Codicum sive nævis s. mendis hæctenus, quæ à me dicta
sunt, tantum abest, ut horum nullum, nullum, quotquot
etiam sunt, aut à me etiam allata sunt, rebus fidei, in his-
ce ipsis Codicibus contentis, in specie verò Articulis,
quos vocant, ejusdem s. essentialibus s. extra essentialib9,
omnibus atq; singulis, ex veteri item instrumento uno
solo, sine labe & noxâ, si opus sit, sufficientissimeq; pro-
bandis, præjudicent, aut damno his sint esseq; possint,
potiùs, ut inductione factâ, vel nobis etiâ idem præsta-
re facillimum esset: si tempora nostra Lect. benevol. ul-
teriùs morari vellem.

EXERCITATIUNCULA III.

*De Certitudine, fide & authenticia Script. S.
Vet. Instr. in sese consideratis.*

Tela prævisa nocent minùs, vetus id quidem est. Ut ut ergò
concessum sit constetq; dari vel extare in Vet. Instr. Co-
dicibus apographis hodie-nostris Menda quædam graphica, de
iis ergò, quæ, quanta & qualia sint cum jam constet, non nocitu-
ra adeò sunt hæc bonitati, fidei, authoritati & integritati Scri-
pturæ S. laudati Instrumenti. Quod videri poterat evidens hoc
ipso esse.

Ut ut

Ut ut ergò in minutis quibusdam (respectivè) tempori ceden-
dum, attamen Deus Ter Opt. Max. de cætero, rem ipsam quod
concernit, & Pactum suum religiosum, quod inter se & gen9 hu-
manum circa salutem eorundem æternam, semel jicit proba-
vitq; non fieri ideò irritum in totum voluit, passus est patieturq;
Quod esset contra ejus veritatem, sapientiam, boni tatem, mise-
ricordiam, providentiã, summissima, ut sic dicam, quæ sunt o-
mnia in Deo, nec frustrationem singula hæc (sit venia dicto) pa-
tientur suam.

Maforetarum in aliis aliisq; ita habemus laborem stupendū,
quem à Mose, divino viro & successoribus ejus nos deducere so-
lemus: Translationum sive Versionum ab omnibus seculis ita va-
rietatem & copiam: exemplarium Fontis & Versionum (maxi-
mè inventa arte typographica) copiam iterum & multitudinē:
quæ quantum essentialia corrumpi Sac. Scripturæ librum (epi-
stolam Creatoris ad Creaturam; Greg: Magnus) minimè, mini-
mè permittunt, permittent.

Quorsum spectant referunturq; & rectissimè, S. Script. hæc di-
cta, 1. Tim. II. v. 4. & 5. *Unus est Deus, unus etiam mediator Dei &
hominum, homo Christus Jesus: qui quosvis homines vult salva-
ri & ad agnitionem veritatis venire.* Et 2. Petr. III. v. 9. *Non vult
Deus perire ullos, sed omnes ad resipiscentiam tendere* & Joh. V. v.
39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in iis haberi vitam
æternam, & illa sunt &c:* & quæ sunt his infinita alia: Devt. IV. 2. c.
XII. v. ult. Psal. CXIX. 105. Proverb. XXX. 5. Jesa. VIII. 20. Lucae XVI.
29. Galat. I. 8. 2. Tim. III. 16. Ebr IV. 12. seqq. 2. Petr. I. 19. seq.

Et quid verò deniq; de Novi Instrumenti Codicillis, quantita-
tis his multò minoris, & eorundem si non nævis, certe lectioni-
bus variantibus, aliis aliisq; dicam, non certè minoris momenti?
At verò cum de his atq; similibus supra jam actum nobis sit Ex-
ercitat: præced. modò sub finem, hic finio subsistoq;. Vid. illa atq;
alia omninò ibidem, nec non apud alios. Tantum.

*DOMINE DEUS, serva nos in Veritate tuâ, Verbum
tuum Veritas est.*

B2 131.

8

ULB Halle 3
001 525 018




Sb

VD 17







Cum Deo!
 Exercitationum Philologicarum
 TERNARIUS:

Quarum

I. De PUNCTORUM Vocalium Ebræor.
 neq; cum Literis neq; cum Verbo DEI scripto
 Coævitate.

II. De MENDIS Codicum Apogra-
 phorum Vet. Instr. Ebr. hodie-nostrorum.

III. De CERTITUDINE interim, Fide &
 Aythentia Scripturæ S. in se Sc. consideratâ.

AUTORE

ANDR. SENNERTO, P.P.
 in Acad. VVirteberg. Ejusdemq; Sen.

WITTENBERGÆ,
 Literis JOHANNIS WILCKII.
 ANNO M DC LXXX.

